

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Johannis Segeri Weidenfeld De Secretis Adeptorum Sive Usu Spiritus Vini Lulliani Libri IV

Weidenfeld, Johann S.

Londini, 1684

122. Menstruum faetes Solare Lullii

[urn:nbn:de:bsz:31-96282](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-96282)

121. Menstruum fætens lunare
Lullii,

In Experimento XXIX.

R. **S**Upradietæ aquæ mineralis (*sub No. 104. descriptæ*) ut habes in superiori (No. 26.) experimento, uncias sex vel octo, in ea solve unam unciam lunæ, quam dissolutionem pone in retortam parvulam ad destillandum per cineres; qua destillatione cessante augebis ignem quantum possibile fuerit: Cumque hoc gradu ignis nulla humiditas amplius destillaverit, frigefacto vase, accipe aquam destillatam, in qua est anima lunæ, ac bene clausam servabis ne respiret.

Ita etiam præparatur Aqua solaris apud Lullium.

122. Menstruum fætens solare
Lullii,

In Experim. XXXI.

R. **A**quam fortem sive aquam mineralem (*sub No. 104. descriptam*) ut supra, atque inibi dissolve in unaquaque libra uncias tres de sale animali præparato & fixo prout habes in suo (*sexto*) experimento. Quo soluto, dissolve ibidem uncias duas auri cementati ut scis, postea putrefac per octo dies, mox per balneum destillabis. Quod autem in fundo remanebit erit instar mellis fusi, supra quam materiam iterum infunde de sua aqua per balneum destillata, ita ut supernatet duobus digitis; putrefac per diem naturalem, mox amoto antenotario, superpone alembicum cum recipiente clausum, ut non respiret. Destillato per cineres quousque amplius non destillaverit, ultimò augebis ignem aliquantulum ut in aquam transcendat pars æris. Tertio ignem augebis, ut etiam ignis elementum per alembicum transeat, cum autem hoc ultimo ignis

ignis gradu nil destillaverit, tunc frigefacto vase, amotum recipientem cum aqua sua destillata, firmiter clausum servabis.

Isaacus Hollandus aliquando Aquam mercurialem confecit ex mercurio lunæ hoc modo.

123. Acetum Philosophorum ex mercurio Argenti Isaaci,

Cap. XCIX. 2. Oper. min. Pag. 492. Vol. 3. Th. Chym.

Re. **C**alcis lunæ libram unam, salis armoniaci quod clarum & pellucidum sit tanquam cristallus, absque humore, quartam partem, contrita amphoræ lapideæ inde. Tum acetum sume destillatum (*philosophicum*) quinquies aut sexies à suo phlegmate, ita ut nullas amplius fæces relinquat. Acetum in aliam amphoram lapideam evacua, ac alembico superimposito in balneo colloca. Amphoram cui calx contrita inest, luta probè ad rostrum alembici, & sine lutamentum bene ficcari. Tum ignem sub balneo strue, ac acetum sensim destilla super calces lunæ. Et quot libras calcis lunæ habes, tot quatuor libras aceti super eam destilla. Cumque acetum omne destillatum fuerit; sinas facilè per 3 dies refrigerescere, antequam amphoram removeas. Nam si citius removeres, acetum, luna & sal armoniacum tibi elabentur, ac nihil retineres, tam vehemens illa est materia; nam frigidum & calidum simul veniunt. Cumque remove velis, operculum vitreum habe paratum, ad os amphoræ levigatum, quod illi statim luto agglutinabis, ne virtus illa tibi elabatur. Tum amphoram in balneo pone, nec calidiorem ignem adhibe, quàm manus tua commode ferre possit in aqua usque ad condylos, aut quàm bibi possit absque ustionis periculo. Atque hoc pacto retine ad hebdomadas sex. Tum sine frigefieri, effringe, & alembicum luto statim affige amphoræ admodum solidè; & receptaculum ad rostrum pone, destilla balneo temperatè calido, quicquid destillare vult. Cumque jam non amplius destillat, tum exime, & in testa cum cineribus pone; iterum receptaculum ad